

CXXIV.

Anno 1398. In Gara.

Nicolaus de Gara, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banus, Privilegium Regni de libera Prothonotharii electione confirmat.

Nos Nicolaus de Gara, Regnorum Dalmatie, Croatie, Sclavonie Banus. Memorie commendamus, significantes, quibus expedit vniversis. Quod quia dicti Regni Sclavonie Nobiles nobis per suos speciales nuntios id querulose significare curarunt, quod alii nonnulli Bani, vel Vicecomites eorundem Regni predicti, ipsos de antiquis consuetudinibus et libertatum prerogativis ab antiquo approbatis, signanter vero in alienatione sigillorum, quibus ipsi in ipsorum officio fungerentur seu uterentur, et notario eorundem per ipsos electo, seu eligendo, facta exceperant et eosdem in eisdem minime tenere et conservare curarunt. Supplices Nobis per nuntios ipsorum prenotatos, ut ipsos in eisdem consuetudinibus et libertatum prerogatiuis, quibus ipsi tempore domini Lodovici olim Regis Hungarie, indelende memorie tenti fuissent et conservati, et prout etiam Serenissimus Princeps Dominus Sigismundus, Rex Hungarie ac Dalmatie, et Croatie predictorum, dominus noster graciosus, easdem Libertates eorundem pridem in Temesvar de vnanimi sanctione et communi decreto totius Regni sui Baronum et Procerum, ymo vniversorum nobilium, literis suis mediantibus confirmasset et roborasset, prout in eisdem literis coram nobis specietenus exhibitis limpidius continetur, tenere et conseruare dignaremur. Nos igitur iustis et legitimis eorundem nobilium supplicationibus et petitionibus sicuti dignum arbitramur aquiescentes, nihilominus prefatis literis ipsius domini nostri Regis contraire non valentes, eosdem nobiles ipsius Regni Sclavonie in eisdem consuetudinibus et libertatum prerogatiuis, quibus ipsi tempore dicti domini Lodovici Regis tenti fuissent et conseruati, ac etiam prout in eisdem literis ipsius domini nostri Regis Sigismundi per omnia continetur, a modo et deinceps illesos et indempnes volumus frui, permanere et potiri; eo modo videlicet, quod sepefati nobiles quemcumque Notarium eligere voluerint, liberam eligendi et deponendi, dandi, et removendi habeant facultatem; ac etiam Comites nostri predicti Regni pro nunc constituti, et in futurum constituendi, universa sigilla ipsorum Comitum, Judicia et causas ipsorum nobilium concernentia, teneantur dare et assignare Nothario prenotato, hoc etiam declarato, ut huiusmodi Notharius de sede Judiciaria eorundem sigilla antefata ad locum alienum minime assportare valeant atque possint (sic); et quod dicti Notarii ac Comites ejusdem Regni Sclavonie sine Judicibus nobilium causas nobilium predictorum nullatenus judicare,